



XI. 1 = Q.

(cat. 4, 22-33^b)



44

DE
NOMINE

BACCALAUREI ATQUE
MAGISTRI

ILLUSO DISSERIT,
SIMULQUE

NOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO

IO. ADOLPHO
GELLIO

DRESDENSI,

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORUM TI-
TULOS FAUSTOS ESSE PRECATUR,
F. C. H.

SCHNEEBERGÆ,
LITTERIS HENRICI FULDÆ, 1733.



DE
NOMINE
BACCAL AUREI ATQUE

MAGISTRI

ILLUSO DISSERT.

SIMULQUE

NOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO

DOMINO

PLAUTUS

Est miserorum, ut malevolentes sint, atque
invideant bonis.


GELLIO

DRESDENSI

EMMOS IN PHILOSOPHIA HONORUM II.
TUOS FACIOS ESSE MEDICUM

P. C. H.

LITTERA HERALDICA TUMBA 1717



Q. D. B. V.

Amicitiæ, quæ tenerrima inter nos a pueritia intercedit, sinceritas, ERUDITISSIME GELLI integritasque animi, cujus luculentissima iterum iterumque signa mihi ante oculos posuisti, omni jure in præsentia a me exigit, ut lætitia perfusus cum aliis, qui certatim gratulandi gratia TE adeunt, faustos felicesque simul honores precari non intermittam. Carmina alii componunt, suumque declarant TIBI officium, amorem, studium, promptamque voluntatem. Idem agere quidem meum est, sed Musæ hoc in genere non adeo favent mihi. Ast ne fidei præstitæ prorsus esse oblitus videar, non potui a me impetrare, quin his qualibuscunque paginis legi amicitiæ, quantum in viribus meis, quas admodum exiguas esse, ingenue confiteor, est positum, satisfaciam. Hac oblata occasione in argumentum incidimus, quo titulus, qui TIBI summa cum laude adfertur, a sinistris iniquorum hominum judiciis & calumniis vindicatur:

); (2

Scien-

Scientia propemodum datur nulla, quæ non calumniis adpetitur, partim ab hominibus litterarum oppido ignaris, partim sæpius quoque a viris in omnibus scientiarum disciplinis versatissimis. De ipsorum nugis indignissimis pariter ineptissimisque nemini non arbitror satis constare. Ex eorum societate CORNELIUS AGRIPPA procedit, qui in libro *de vanitate omnium scientiarum* Satyrico stilo quascunque scientias perstrinxit & pro vanissimis humani ingenii ineptiis venditavit, cui aliqua ex parte adnumerari possunt *Charlatanerie eruditorum*, imo autores etiam aliorum scriptorum, quibus litterati se invicem laceßere solent & *Pedantissimi, Machiavellissimi, Imposturæ, Plagii aliusque generis vitia* impingere, & sæpius summis verborum contumeliis nomen optimi cujusvis proscindere. Quatenus loquendi interdum licentia cum æquitate consentiat, nolo dijudicare, ipsis potius suas in alios effusas calumnias defendendas relinquo. Nigro tantum annotabo calculo ipsos, qui etiam infimos litterarum titulos contaminare audent, quique ne BACCALAUREIS quidem PHILOSOPHIÆ atque MAGISTRIS parcunt. Cum Gradus Academicus consideretur tanquam honor personæ litteris moribusque expolitæ a Superiori seu Principe oblati; statim hanc obvertere volunt definitionem ipsi, qui honores adsumentibus male cupiunt. Causa ex re ipsa evidenter evadet. Infimus horum graduum omnino est titulus BACCALAUREI, qui litterarum studiosis ob profectus strenue in studiis factos confertur, ut hoc diligentia præmio excitati ad altiora subinde ascendere satagant. Probe autem considerandum est, BACCALAUREATUS dignitatem traxisse originem a
baccala-

bacca laurea (a) olim Apollini & Musis sacra. Pro-
 pterea olim homini Musis addicto & præcipue Poetis
 fertum laureum honoris gratia impositum fuit, unde
 Poetas laureatos dictos esse (b) constat. Nequaquam
 vero hujus nominis a baculo, ut quidam volunt, (c) ra-
 tio est petenda, neque BACCALAUREI fuerunt qua-
 si BACULARII, Nam superiori tempore BACCA-
 LAUREOS fuisse perhibent, qui hoc titulo ornati ba-
 culum album gestarint, quo libertas alios docendi fuit
 significata. Et faciunt Lovanienses discrimen inter BAC-
 CALAUREOS Biblicos & Formatos vel Sententiarios, quo-
 rum illis oracula sacra, his vero Magistri sententias præ-
 legendi potestas fuit concessa. Hæc distinctio perver-
 saque sententia Scholasticis præbuit ansam, BACCA-
 LAUREUM vel malleum BACULARIUM hunc in mo-
 dum describendi: BACCALAUREUS est persona ha-
 bens

(3

bens

- a) FRANC, JUNIUS cap. V. de Acad. Tom. I. Oper. Tres inquit
 status ad facultates singulas sunt instituti, INFIMUS, ME-
 DIUS, SUMMUS - INFIMUS Gradus eorum appellatur,
 qui in primarum institutionum intelligentia - adeo provenerunt,
 ut judicentur aliquo honore digni. His BACCA LAUREA sym-
 bolum honoris inædebat, olim Apollini & Musis sacra, & ex
 ea dicti BACCALAUREI. Non autem (ut leve Magistello-
 rum vulgus existimat) BACULARII. In Academiis sunt BAC-
 CALAUREI, in sylvis sunt BACULARII, qui ligneos vident
 fasciculos.
- b) de Poetis laureatis multa & notatu digna habet. N. HENE-
 LIUS in ordo Vratislaviensi cap. XIII. pag. 96-164.
- c) vid. SCHERÆI Miscell. Hier. Part. I. pag. 96, & MYLLII horum
 Philosophic. sub voce; laurus, pag. 275.

bens dignitatem bajulandi baculum promovibilis in Magistrum (d), Infelicissima & sane ridicula descriptio! Quam despectum esset *BACCALAUREUS* animal, si tales ipsi solum convenirent partes, quales hic exprimuntur. Pari modo quilibet rusticus flagellum ad terendum frumentum humeris portans proximus esset ad Magisterialem dignitatem. Et facile conjectura adlequi possumus, hanc descriptionem jam pridem fuisse excogitatam non nisi ad istos, qui *BACCALAUREATUS* dignitatem amplexi fuerunt, vexandos & perstringendos. Quid isti scenici sibi volunt sanniones, qui *BACCALAUREOS* Jenenses & Lipsienses scommatibus prosequuntur & appellari solent *die Schaaß-Kæße*? *JENENSIS* dicterii originem satis ostendit *LIMNÆUS* (e). Quomodo autem *Lipsienses* (f) ejus participes facti fuerint, non satis liquet. Nonnulli referunt, fuisse aliquando quempiam litterarum studiosum, agricolis natum parentibus, qui cum

tem-

d) vid. J. C. JITTERI *Libr. de honoribus sive gradibus academicis*, cap. IV. §. 2. cap. 8. n. 24.

e) in *juris publ. Libr. VIII.*

f) CHRIST. BREME *satis iocose Lipsienses Baccalaureos luse his verbis*: Die gelehrte Fastnacht die in Hunds - Tagen gehalten wird, ist nun bald vorbey: indem die LEIPZIGER ihre also genannte Schaaß - Kæße (*BACCALAUREI*) nunmehr schon mit ihren disputierlichen Maden und Fladen - Sack solche Künste werden ausgeschüttet haben, daß auch kaum dafür eine ehrliche Magd darf jungfer genennet werden, nur daß sie darauf in bestiger Kälte eine denen Eltern annehmli, Magister Maskarade in einen braunen Barette bringer, hart gebacken werden und sich wohl gelehrt nennen lassen können &c. &c. In 3te Theile Christi, Unterred. 6ten Gespräch p. 93.

tempus *BACCALAUREOS* creandi appropinquasset, cupiditate titulum eruditi acquirendi flagrans, verumtamen rerum angustiis laborans, *Promotoribus* caseos ex lacte caprino paratos loco pecuniæ obtulerit ipsorumque officia caseis remuneratus fuerit. Fingamus rem ita sese habuisse, quo heus jure hoc dixerim ad omnes, qui titulum Magistri ambiunt, est propagandum & extendendum, siquidem ab uno ad omnes concludere, quisque absonum atque absurdum esse cognoscit. Interim hoc convitium est notissimum & tantum abest, ut finis ejus sit expectandus, ut potius ad posteros illud conservatum iri sit credibile. Quemadmodum autem *Lipsienses* nomen *BACCALAUREI* in contemptum adduxerunt propter caseos, si fabulæ fides est habendæ, ita *MAGISTRIS WITTENBERGENSIBUS* fabella quædam de suis ludibrium, contemptumque excitavit. Verba *PRÆTORII* (g) de ea re huc spectantia adscribam. Man weiß, inquit, daß aus Kurtzweil zu Wittenberg allemahl in *PROMOTIONE MAGISTERALI* einer von denen lerztörn, der *SAU - MAGISTER* genennet, item gesagt wird, daß er den *SAU LOCUM* habe, der auch wegen des Namens frey seyn und ohne Unkosten mit durch lauffen soll, wiewohl es allemahl ein bedürffiger Mensch seyn soll, der sonst wenig auf den Gradum spendiren kan. Ob solches nun etwa von jener jüdischen *SAU* herrühre, oder ob es davon komme, daß vor weilen ungefehr ein *MAGISTER MISERICORDIARUM* oder *PROMOTUS EX INTERCESSIONE PHILIPPI* (Denn mit solchen Tit. beleet man die seuch gelehr-

(g) in *Saturnalib.*, oder *Weynachts - Frätzen* prop. 8. p. 145.

gelehrten armen Stümpffer hin und wieder auf denen Univer-
sitaten) denen Collatoribus honorum eine Saue spendiret, daß
er dafür mit durchlauffen möchte; Wie man sonst erwa all-
hier (zu LEIPZIG) gleichfalls aus Kurtzweil vill Schwaa-
zen, daß vor alters ein BACCALAUREUS sich mit
SCHAAF - KÆSSEN durchgehandelt, und den ersten Philo-
sophischen Crantz erhalten habe. Dannhero etliche Spötter
solche BACCALAUREOS nach iertund hönisch SCHAAF-KÆS-
SE. nennen Alii quoque aliam hac de re sententiam referunt,
adfirmantes, accidisse quondam, ut, cum BACCA-
LAUREI ordine solenni ad actum Magisterialem pro-
cessissent, subito interveniret sus, quasi simul cum
ipsis Magisterialem dignitatem voluisset adipisci. Sunt
qui plura de hoc animali ad solennem promotionem
adducto fingunt, quæ autem silentio obtegere præ-
stat. Quocunque autem res se habeat, certum tamen
est, MAGISTROS WITTEBERGÆ ad hunc usque diem
ab aliis ista ignominia excipi. Unde etiam discrimen
apud WITTENBERGENSES constituitur inter suam com-
munem, qui in plateis vagatur simulque celebratur in
proverbio: Aut Sus aut Meretrix, aut Studiosus erit, & inter suam
Iudeorum vel Ecclesiasticum, quia in æde, quæ dicitur pa-
storialis, reperitur effigies porci porculis atque Iudæis
circumdatis saxo incisa & vulgo appellatur Schembam-
phoras, de quo legi merentur orationes LAVR. FABRI-
CII de inscriptione Rabinorum Schembamphoras & denique
inter suam Magisterialem, cujus distinctio sine dubio a su-
periori fabula est exorta. Quid quæso de ipsorum in-
genii protervia dicam, qui Magistros convitiandi oc-
casione ex formula in actu creationis Magistrorum
adhiberi solita arri puerunt, Et enim usu est receptum,
ut

ut proclamaturi Magistros, eos qui titulum MAGI-
 STRI petunt, ita alloquantur. *Nos creamus vos PHILO-
 SOPHIÆ BACCALAUREOS tam absentes, quam presentes
 PHILOSOPHIÆ DOCTORES SEU MAGISTROS.* Qua-
 propter stolidi obrectatores linguam hunc in modum
 contra creatos direxerunt Magistros, eosque vocarunt
Sau Magisters. Deinde hac syllaba mutata pro eaque po-
 sita VĒL, vocarunt *Fell Magisters,* porro usurpata voce
 AVT, nominarunt, *Haut Magisters,* tandem adhibita
 voce SIVE, appellarunt *Schieffe Magisters;* ut postea
 consultum fuerit habitum eo loco ponere *i. e. vel h. e.*
 Ita MAGISTRI procaciam linguæ ineptorum calumnia-
 torum prope nunquam effugere potuerunt. Neque
 illacesitos *absentes* passi sunt, quos nomine salutarunt
Kober-Magisters, quoniam ipsis pro pecunia titulum Ma-
 gistri missum esse dixerunt. Ad hæc paucis addere ver-
 bis licet proverbium, quo in Magistros atque Docto-
 res quidam invehuntur. Notum est dicitur: *tor
 dantur MAGISTRI totque DOCTORES, ut si per fenestras
 despuas, cavendum sit, ne salivam mittas in DOCTOREM, &
 si ex ædibus prodeas, cavendum ne calces MAGISTRUM.* Sa-
 ne hyperbolica locutio, qua mente tanquam capti Ma-
 gistorum cavillantur magnitudinem, sed multo liberi-
 us & certe ineptius loquuntur, ita exaggerantes copiam
 MAGISTRORUM, *ut porci ipsis possint saginari.* Accedit
 CHRIST. HOHBURGI, (h) qui sic frivole judicat de ho-
 noribus Academicis: *Darum lassen sie sich MAGISTRIREN,
 DOCTORIREN &c. so häufig, daß des Geschmeißes nun-*

): () (mehr

b) in *Postill. Mystic. p. 326.*

mehr in unsern Teutschland fast keiner Zahl mehr ist, sondern
das teutsche Egypten mit diesen Heuschrecken der Welt-
Meister ganz überdeckt ist. Causa horum scommatum
non eruditorum misanthropiae solum sed infime etiam sortis ho-
minum est tribuenda. Quot quælo Misanthroporum (i) pro-
stant exempla, qui munera cum splendore magnorum ti-
tulum conjuncta & sibi sua sponte oblata rejecerunt,
& ipsos, qui titulum dignitatis excellentis adsumferunt,
odio prosequentes vel ambitionis accusarunt, vel mone-
re quoque atque dignitate ista indignos putarunt. Su-
perlunt ad huc Magistri misericordiarum, Magisteruli, Magi-
stri tanquam Morosophi magnusque catalogus convitiolorum alio-
rum, quæ aliunde colligi possunt. Et si quis plura sci-
re cupit nomina ignominiosa in MAGISTROS ex cogi-
tata, ille carmina satyrica contra eos composita perlustrer,
quæ ipsi abunde satisfient. Etenim quilibet hodie au-
det in MAGISTRUM conscribere satyram, eamque sæpius
adeo obscœnam, ut melius esse putarem, ejusdem argu-
menti carmina nunquam prodire, quam deinde perversum
in finem applicari. Quo spectant carmina, quæ bestia-
m, laureum petentem sertum per prosopopociam fingunt,
quam ridicula sunt illa, quæ stupidum hominem fortuito ad ho-
norem prolectum depingunt, ut plures hujus generis ineptias
præteream, ne aliis nauseam moveam ipsosque a dignitate
Magisteriali absterream. Utilitas Poetarum ipsorum est
nulla. Aliorum vituperant actiones, proverbialia singularia
ipsis vitio vertunt, res privatim gestas publice perstrin-
gunt, & pro ludibrio vendunt & sæpe ipsi nesciunt, quid si-
bi

(i) vid. M. J. Seboderi disp. de Misanthropia Z. XVIII.

bi velint. Quo versus *Illus infelicissimi Poetae* spectant, quibus Magistrum personam esse fruges consumere natam audacter canit :

Herr Magister

Wenig wisset er

Nichts lieft er


Viel frisset er.

Multos eo nomine habet imitatores multosque hujus generis virtus possem adducere, sed mancis iisque nullius momenti pœmatibus nolo perdere chartam. Ast continuo forsan objicis eos, in quos ejusmodi carmina componuntur, esse in culpa, quippe qui a pueritia dissolutum amplexi sunt vitæ genus, & proinde improbis vitiligatoribus occasionem convitiandi suppeditant, iisque suo quasi gladio se jugulandos præbent, quin immo parum imbuti litteris ad gradum properant Academicum, ut honoris quodam titulo obtegant ignorantiam. Iniquissimum hominum genus, qui, quod ad paucos pertinet, ad omnes per summam trahunt injuriam! Dari nonnullos, qui quamdiu Scholam & Academiam frequentarunt, suo defuerunt officio, qui bonas horas male collocarunt, nec proinde ea litterarum notitia sunt præditi, quæ sapientiæ MAGISTRUM decet, quis quæso est, quin confiteatur? Quod si idcirco totus MAGISTRORUM ordo convitiis jure adpeti potest, jam ne tota quidem eruditorum societas a male dictis erit libera, in qua multi sunt eruditorum nomine indigni. Accedit quod multi ignaviæ & somnolentiæ dediti, acquisitis honorum titulis, excitari fuerint, seque illis omni opera studio atque diligentia dignos reddere studuerint. Eadem iniquitate agitur cum iis, qui ad dignitatem Academicam aspirandum sibi esse putant, si iis exprobrantur soluti quorundam & liberi mores, quibus, olim præditi fuerunt

runt. Qui male vixit sed ad frugem rediit, vitiaque adole-
scentiæ bonis emendavit factis, is inquam, si ad emendatio-
nem morum accedant laudabiles in litteris profectus, quo
jure repulsam ferre possit, ego quidem haud intelligo.
Quod præterea ad ignorantiam attinet, ea omnino cum
nomine MAGISTRI, qui præ aliis eminere vult doctis, minime
consentit. Sed asinum Minervæ interdum immolari con-
ceditur. Hæc sunt palmarie cavillationes, quæ a quibusdam
hominibus de BACCALAUREI ac MAGISTRI nomine cir-
cumferuntur, reliquas quilibet, quæ ipsi sunt in promptu,
adjiciat (k). Equidem hic acquiesco. Iudicent nonnulli
præpostere de MAGISTRIS, verumtamen nihil detrahent
ipsorum honori. Perverse loquantur, sed nihil detrimen-
ti virtuti adferent. Male sentiant de gratibus Academicis,
sed tamen præmia bene merentibus constabunt.

Hæc præmia NOBILISSIME GELLI TIBI nequaquam denegari po-
tuerunt. Vitæ integritas morumque probitas TE nobilitat. Nihil
sane fuit quod TE diutius a lauro Magisteriali retinere potuisset.
Nullum apud TE pondus habuerunt ignominie, quæ cumulate in
dignitatem Magisterialem evomuntur. Eximia sacrarum litterarum
cognitio, cui huc usque diligentem dedisti operam, præ ceteris TE lau-
ro ista, quæ jam TE ornat, reddidit dignissimum. Certo mihi persua-
dere possum, TE eo magis titulum, TIBI propter virtutis studium &
eruditionis famam collatum, esse ornaturum quo doctior quotidie e-
vades. Propitiæ sint TIBI Musæ & clementissima Divini Numinis gra-
tia adspiret optatis, ut sacrarum non solum studiis litterarum felici
prosperoque successu porro operari, sed aliquando etiam DEO atque
Ecclesiæ commodo possis inservire. Vale.

(k) adai potest autor actorum philosophorum, qui quasdam rationes
de contentu Magistrorum exhibet in 16ten Stück, die 4te Abhandl.
§ XXVll. seqq.



Yc 6769

ULB Halle 3
003 350 355



56.


Rehr ✓ 9.1.07

H.C.

W 77







44

DE
NOMINE
BACCALAUREI ATQUE
MAGISTRI
ILLUSO DISSERIT,
SIMULQUE
NOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO
IO. ADOLPHO
GELLIO
DRESDENSI,
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORUM TI-
TULOS FAUSTOS ESSE PRECATUR,
F. C. H.

SCHNEEBERGÆ,
LITTERIS HENRICI FULDÆ, 1733.

LITTERIS BREITKOPFIANIS.